



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Ordine Iudiciorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

ARTICVLVS X. De Ordine Iudiciorum.

- 1 *Causa omnes hoc tempore summarie expediuntur.*
- 2 *Summarius processus quid importat.*
- 3 *Nullitas Iudicij ex quibus attendenda.*
- 4 *Iudex in Notorijs non tenetur seruare iudicarium processum.*
- 5 *Stylus Rom. Curia facit ius & seruari debet pro lege.*

Circa ordinem in iudicijs seruandum parum nobis immorandum est, postquam hæc materia satis accuratè tractata habetur apud *Man. par. 6. de ordine iudic. Vestr. præsertim à lib. 5. Salust. Tiber. in suo tract. de modo procedendi in causis coram Aud. Cam. & postquam antiquum iudiciorum cursum, ad diffugia & cauillationes malitiosas, causidicorum passim vsurpatum, nostri temporis iudicia vix seruant, cognitionem ipsam æquitatis, terminorum captionibus præferendo, & communiter summarie expediuntur.*

Et in primis quidem *Clem. dispensatam. de iudic. in causis electionum, postulationum, prouisionum quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum, & decimarum, Matrimonij, vsurarum summarie procedendū ordinauit. Nunc vero iam non tantum in istis, sed & in alijs omnibus causis, processus hic summarie tenetur, & de tali communi vsu testatur Maran. cit. p. 4. dist. 9. num. 1. Alberic. Oliua. tit. 23. Imò & signatura iustitiæ committendo curas, passim summarie procedendum rescribit, ita quod licet hoc addere aliquando omitat, errore Regentis potius fieri, & nihilominus iudicem summarie procedere solere testatur *Vestr. cit. lib. 3. cap. 1.**

Quid autè importet processus sum-

marius, docet *Felin. in c. dilecti. de iudic. Alex. cons. 6. lib. 3.* nimirum in processu summario omnes iuris solemnitates esse sublatas, præter citationem quæ est iuris naturalis. *Abb. in c. inter quatuor. de maior. & obed. & præter necessarias probationes, quæ prætermitti non possunt, ita quod cum agitur processu summario possit iudex expedire causas sola facti veritate inspecta, prout olim tempore iurisperitorum tractabantur. Maran. lo. cit.*

Amplius autem *Clem. 1. de verb. signif.* circumscribit summarium processum, ut videlicet in summarijs iudex bellum vel litis contestationem necessario non exigat, etiam tempore feriarum ob necessitates hominum inductarum procedat, appellationes frustratorias rejiciat, dilationum materiam amputet, testium multitudinem superfluum refrenet, ita tamen ut probationes & defensiones legitime non impediatur; Iuramentum item de calumnia in summarijs tum demum præstandum, si petatur, si vero non petatur, omissum non vitiet processum. *Vestr. loc. cit. c. 2. & late Lanfranc. in repet. ad dictam Clem. per 16. conclus.*

Et nouissime Pius Papa IV. & *Clem. VIII.* prouidit, ne aliquis solemnitatum iuris seu terminorum defectus vitiet processum in quacunque causa, nisi fuerit defectus citationis, mandati, aut iurif-

ditionis. Constitutionem Clem. VIII. quæ praxi forensi est plurimum necessaria, hic referēdā putauimus, vt sequitur.

Litium dispendijs & ambagibus, præsertim inter personas cura & iurisdictioni nostra, etiam in temporalibus subiectas occurrere quātum in nobis est cupientes statutum sel. rec. Pij PP. IV. Prædecessoris nostri, ne iudices. Alma vrbis nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis, aut mandati, sed illis non obstantibus ad expeditionē causarum procedant; ad omnes & quoscumque iudices Ordinarios, & magistratus, & Officiales, in quibusvis ditionis nostra temporalis Ecclesiastica Prouincijs & Ciuitatibus, Terris, Oppidis, & locis quamcunque iurisdictionem exercentes, & quauis autoritate & dignitate fungentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione extendimus & ampliamus, atque in quocunque Tribunali aut Curia seculari, vel Ecclesiastica firmiter & inuolantē seruari, sicq; & non aliter per quoscumque ex ipsis iudicibus, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam Sancta Rom. Eccl. Cardinales, ac legatos etiam de latere, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi facultate, in quacunque causa & instantia etiam nunc pendente, aut in futurū mouenda, Ecclesiastica, prophana, civili, & criminali, aut mixta, iudicari, & definiri, & quibuscung, nullitatibus præter superius expressas nequaquam attentis, ad expeditionem causarum earundem procedi debere præcipimus & mandamus. Decernentes irritum & inane, si secus super his per quoscumq; quauis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus consti-

tutionibus & ordinationibus Apostolicis, & c. Dat. Rom. Ann. Incarn. Dom. 1592. Idib. Febr.

Vnde neq; termini quos in summarijs requiri vult Vestr. lo. sup. cit. videlicet ad ponendū, ad articulandū, ad producendum omnia, & ad dicendum contra producta, erunt omnino de substantia, ita vt omissi vitient processum, sed tum demum adhibendi sunt, cum status causæ hos requiret, vel præsupposita materia, vt in notorijs possent omitti, cum in notorio non requiratur, nisi citatio & iudicis sententia, vel potius exequutio. Innoc. in c. ex parte. de verb. signif. Abb. in c. ad nostram. n. 4. de iure iuran. & in c. ex ratione. n. fin. de appell. & in notorijs seruare ordinem iudicarium vanum & superfluum. Rot. decis. 340. in no. Vnde in istis potius requiritur prudens Iudicis arbitriū, qui debet dilationes opportunas partibus indulgere, vel etiam rescindere superfluas, dummodo de veritate ipsi constet. Quod & in praxi iudiciorū Aud. Cam. facile obseruari potest, in qu. b. pro obligatione Camerali, quæ pro manifesto habetur, nullæ solemnitates terminorū seruantur, sed facta citatione ad soluendum, & præmissa intimatione, expeditur m. adatū exequutiū contra debitore; & alias prout subiecta materia exigat, diuersus in diuersis causis, & breuissimus modus procedendi præticatur. videri potest breuis præc. termin. Rota Flam. Paris. & Salust. Tyb. lo. cit. c. 32.

Licet autem dicta Const. Clem. VIII. ad solos iudices Dominijs temporalis Eccl. Rom. directa videatur, tamen cū Rom. Curia (quæ omnium Ecclesiarum mater est. cap. vlt. de fo. comp.) stylum omnes alix Eccl. sequi & seruare teneantur. Card. in Cle. quāuis. de appel. Gomez. in procm. Reg. cano. q. 2. cum nimirum

R 3

Stylus

5. Stylus Romanæ Curia faciat ius, per notata apud Abb. in c. bona. 1. nu. 12. de postul. pral. & in cap. ex literis. num. 6 de conslit. Dec. ibid. num. 27. & in rub. de consuet. nu. 15. Rot. decis. 564. in antiq. & seruari debet pro lege. Gig. de pens. q. 58. num. 3. idcirco merito eadem Ordinatio in Iudicijs quoque aliorum omnium Iudicum Ecclesiasticorum est seruanda.

ARTICVLVS XI.

De Pœnis & primo de Interdicto.

1. **I**nterdictum quid sit.
2. Interdictum fertur contra locum vel contra personas, vel contra vtrumq; simul.
3. In interdicto quadam Sacram. excipiuntur.
4. Clerici qui causam non dederunt interdicto, possunt sepeliri interdicti tempore.
5. Interdictus sepultus in loco sacro non est exhumandus.
6. Sepeliens interdictum incidit in excommunicationem.
7. Interdicti tempore potest celebrari Missa clauso templo semel in hebdomada.
8. Interdicti possunt intrare Ecclesiam orationis causa & concionis.
9. Interdictos vitare non tenemur in humanis.
10. Matrimonium potest contrahi tempore interdicti citra benedictionem.
11. Interdictum violans Clericus quomodo incurrat irregularitatem.
12. Interdictum, ferri non debet pro debito pecuniario.
13. Interdictum potest suspendi.

Pœnæ quas Iudex Ecclesiasticus infligere potest, aliæ sunt spirituales, aliæ corporales, & quasi corporales seu eorum quæ circa corpus, spirituales sunt primo.

1. Interdictum est, censura Ecclesiastica, qua prohibentur Diuina officia, sepultura, & Sacramenta Ecclesiastica actiue & passiue respectu alicuius loci aut personarum. *Sot. in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. Calder. in tract. de interd. nu. 2. Nau. in man. c. 27. nu. 164. Suarez de cens. disp. 32. sect. 1. num. 3.*
2. Fertur autem ob graue peccatum Principis, vel populi, vel etiã personæ particularis, quando aliter de facili corrigi non potest. Et fertur aliquando contra certum locum tantum, aliquando contra certum populum tantum seu

collegium, vel contra personam particularem tantum, vel contra locum & personas simul secundum diuersitates delictorum ob quæ fertur. *Authores. cit. & Couar. lib. 2. var. res. c. 9.* & quoddam dicitur generale, quando vniuersitas loci alicuius interdicatur, siue locus sit paruus, siue magnus, quoddam particulare, cum aliqua Ecclesia vel plures nominatim specificatae interdicuntur. *Abb. in c. cum in partibus de verb. signif. Et fertur communiter ob contumaciam non autem in pœnam. Suarez. loc. cit. disp. 36. sect. 3. num. 3.*

Si locus tantum fuerit interdictus, personæ loci illius si causam nõ dederit interdicto, in alio territorio nõ interdicto licite possunt participare Diuina. Quod si populus solũ fuerit interdictus,